

contra vero quia sanctus Ioseph gratia apud Deum prius multum profecerat, deinde etiam maxime proficit in favore, et gratia apud regem Pharaonem, adeo ut prorex totius Aegypti ab eo crearetur. Profecerunt etiam quondam in gratia apud Nabuchodonosorem sapientes, et Sathrape Babylonis; quia tamen in Dei gratia nullum proventum fecerant, quin potius innocenter Daniele variis insidiis, et fratribus circumvenerunt, in lacum leonum missi sunt, bestiarum facti cibus; e contra vero sanctus Daniel, qui in gratia Dei progressus multos fecerat, uberem etiam gratiam apud regem nactus est. Ecce, fratres, nullum medium efficacius adhiberi potest ad humanum principum favorem conciliandum, quam prius divinum implorare, ut experta fuit insignis illa foemina Iudith, quae, ut legimus (c.12), ut inveniret gratiam coram principe Holoferne, prius lacrymis, et ieiuniis divinam gratiam quaesivit, coelestemque favorem enixe invocavit: efficacitateque huius modis exitus comprobavit, cum conciliata sibi Holofernis gratia, captus ille fuit in oculis eius, et ipsa divino favore suffulta, opportunitatem habuit, ipsius caput amputandi. Similiter etiam regina Hesther, ut regis Assueri exandescerent animum in Hebraeos militare, prius divinum favorem imploravit, et illo impetrato adit ad regem Assuerum, et tantam gratiam in oculis eius invenit, ut ad eius preces sententiam mortis latam contra illos mutaret, reginamque multis favoribus verbo, et opere cumularet.

Tandem, ut in hoc genere argumenti paucis verbis dicam, credite mihi, fratres, errant toto coelo, qui se hominum favorem, divino spreto, consequuturos falso sibi blandiuntur: favor enim divinus clavis est, quo facilis patet aditus ad humanum. Unde quemadmodum, si quis arenam fortissimam ingredi tentaret, fores omnes obstratas habentem, frustra absque clave reserare eam conaretur; ita certe, cum cor regis in manu Dei sit, et quocumque voluerit, inclinabit illud, ut ait Sapiens (I. Proc. c.21), opus est divino favore, quo, velut clave reseretur cor regis, et ad eius gratiam nobis pateat aditus. Concludo, sacrum Evangelium non dixisse, Christum Dominum profecisse gratia apud omnes homines, sed, *apud homines*: ut hinc servis Dei intelligent, nihil sibi curandum, si omnibus placere non possint, cum enim multi multa iniusta velint, opereretur certe ut placerent illis, displicere Deo. Sanctus Moyses non omnibus Hebraeis gratus exiit, sed contra illum multi graviter murmurarunt. David licet aliquin multa obsequia regi Sauli praestitisset, tamen apud illum gratiam non inveniebat. Christum deinde nemo est, qui ignoret, quod cum aliquin ipsius sanctificatis auctor esset, multis fuit deestabilis, et odio habitus. Unde sanctis, et servis Dei contingit illud, quod de manna sacra narrat eloquia: cum enim in se suavissimus, et dulcissimus cibus esset, multis tamen erat ingratus, adeo ut dicerent (Num. 21): *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*. Auram igitur humanam despiciamus, divinam gratiam praecipue

quaerentes, quam nobis praestare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

### HOMILIA XIII.

*Haeretici verba hodierni evangelii in pravos sensus intorquentes multis calumniis insectantur Deiparam, sed ab illis omnibus apertissime vindicatur innocentissima Virgo, in illa verba: Fili, quid fecisti nobis sic? et quid est, quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? et ipsi non intellexerunt, quae locutus est ad eos: quae variis expositionibus illustrantur.*

Haeretici pro insatiabili, quae aestuant, male dicendi libidine, caninis dentibus lacerare conantes innocentiam Deiparae Virginis, efrangentem petulantiam eam impetentes, innumeras calumnias excitant, ut illum quoque modo peccati ream probent; sed frustra, quia, ut alio dixit David (Psal. 10): *Quaeretur peccatum illius, sed non invenitur*. In primis igitur Culmanus (in Evangelium Dominicae primae post Epiphaniam), affirmat, matrem accusasse filium, dum dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Brentius (hom. 9. in Luc.) putat, Virginem in hanc cogitationem incidisse: *Si hic esset Messias, obediret parentibus, et clam ab illis non se subduaxisset*. Georgius Maior (in explicit. eius. Evang.) non veretur dicere, Virginem negligentia sua amississe puerum Iesum. Centuriatoris (lib. 1. Centur. 4) culpam Virginis magis exaggerantes, comparant illam cum culpa Evae, dicentes: *Eva sciens, et volens facit contra mandatum Dei, Maria insciens, et contra voluntatem, amittit filium, sed nihilominus graviter peccat*. Similis est latratus Hemnigii haeretici, in Evangelium Dominicae primae post Epiphaniam blasphemiam hanc evomentis: *Maria contulit summam miseriam suam cum miseria Evae, nam, ut illa genus humanum a diabolo seducta perdidit, ita virgo existimavit, se sua negligentia amississe mundo promissum Salvatore. Haec omnia hii hauserunt ex turbido Lutheri fonte, in postilla super hoc evangelium; nec enim meliora discipuli tradiderunt, quam a suo praepceptorum Lutheri didicerunt. Sed non cessant adhuc in beatam Virginem alii haeretici magis insanientes debacchari: nam Spangenbergius addidit, Virginem culpam suam agnoscentem, aeterno supplicio dignam se iudicasse. Cossius in postilla supra dictam Dominicam, ultra debitum modum excessisse tradit dolorem Virginis in amissione filii sui, animoque defecisse prae ingenti moerore. Novatores, et alii Haeretici (in cap. 2. Luc.), dicunt, h. Virginem reprehensam fuisse a Christo tum quando ei dixit: *Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* et cum, quibusdam et nunciabantibus adesse foris matrem, et fratres expectantes eum, ipse respondit, *aspera illa**

verba, ut ipsi putant, *quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?* etc. Alii Haeretici cum Brentio (hom. 2. in Luc.), errore, et ignorantia laborasse indicant, cum existimavit Iesum esse in comitatu, cum tamen aliter se res haberet; et cum non intellexit verba Christi, Luca dicente: *Et ipsi non intellexerunt quae loquutus est ad eos*. Consulto missam facio calamitiam aliorum circa verba illa, *quid mihi, et tibi est, mulier?* quia de hac expressio nobis disserendum est suo loco, cum libro sequenti de nuptiis Chanae Galilaeae sermonem insitueamus. Ceterum, quia pauca Corvino haeretico in matrem Dei convicio rostro columbam discernentis, ineplissime, et inverecundissime subiunxit: *Beatam Virginem, cum amisit filium, fidei etiam de eius divinitate iacturam fecisse*. Verum, iam non miror, immanissimos canes ita matrem insectari, quando etiam adversus filium, Deum, et hominem, ac totius innocentiae fontem, in hunc modum illum increpantes, oblatravit: *Durus quidem, inquit Ioannes Agricola (in secundum cap. Luc.), quam alioquin conveniebat, alloquitur matrem expostulantem secum Iesus*. Proh nefas, quantum in his suis electis organis valet bestia illa (Apocalyp. cap. 13), qua contra Deum, et contra Dei tabernaculum ingentes blasphemias eructavit.

Ceterum, ut innocentissimam Virginem ab his omnibus calumniis vindicare exortiar, ad illam evincendam, quae eius fidem habefactare contendit, verba solum divi Augustini (serm. primo de assumpt. Virg.) mihi usurpabo: *Non potuit, inquit, Maria divinitati Christi non esse credula, quae noverat hunc se non virili semine secundum ordinem naturae, sed divino spiramine, nunciante Archangelo concepisse*. Quod autem aiunt, ex acerbitate doloris de amissione filii, animo defecisse in illo triduo: vel illa una ratio falsum satis id convincit, quod si, cum aliquin vulnus doloris mortuo pectori illatum ex morte filii longe acerbius fuit, quam quod ex tridua eius absentia suscepti, tunc firma, et infracto animo persistit, ut docet divus Bernardus (serm. qui incipit Signum magnum), aperte convincitur, in moerore isto multo leviori Mariam non succubuisse, ut perperam isti contendunt: et certe ipsi ignorare non possunt, quam vere dictum sit illud (Prover. 15): *Secura mens, iuge convivium*; et quod Prophetia regius affirmat (Psal. 118): *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*: certo enim sibi persuasum habent, ac reipsa comperiunt, diligentibus Deum, ut et Paulus testatur, in bonum omnia cooperari. An iustorum non est, fuitque semper proprium, secundis rebus non extolli, et adversis supra modum non deprimi; sed ad omnes huius vitae casus invicto durare pectore, quin et praesenti cruce laetari? Expertus est non semel id divus Paulus, qui usque ad tertium coelum raptus, magnitudine certe revelationum non extollebatur, nec etiam calamitatibus oppressus, animo cadebat; quin potius

robustior reddebatur, ipso dicente: *Cum infirmor, fortior sum*. Notum etiam est dictum Sapientis (Prov. 12): *Non contristabit iustum quicquid ei acciderit*. Car igitur si aequi volunt esse censors, cur, inquam, perfectae fidei, invictae patientiae, constantis animi, et heroicae fortitudinis praeconium nunc uni Mariae detrahunt, quod multis aliis veteris, novique testamenti viris, et foeminis vere piis, et iustis largiuntur?

Iam nunc paulatim singula verba tam matris, quam filii, quae haeretici non absque ingenti utriusque iniuria depravare satagunt, explanare properemus iuxta veram, et catholicam Ecclesiam Romanam, et sanctorum Patrum, ac aliorum nobis nominis Interpretum intelligentiam. Et quidem in primis, quod atinet ad verba Virginis, *fili, quid fecisti nobis sic?* ab omni prorsus increpatione, et amarulentia longe aliena sunt: bifariam enim potest, iuxta germanum sensum, interrogatio illa intelligi; primo, per modum admirantis, et causam ignorantis, quare Iesus, qui de ea carnem sumperat, et nasci dignatus erat, et ab infantia semper ei adhaeserat, quicquid ab ea solum amore diligebatur, ipsa nesciente, ad ea se subduceret, et huc, atque illuc ingenti dolore affectum permear permississet. Nec inusitatum est in sacra Scriptura interrogatio- nes fieri ex admiratione, ut (Isai. 14): *Quomodo cecidisti de coelo Lucifer, qui mane oriebaris?* et (Zachar. 13): *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?* Hanc expositionem acceptat cardinalis Toletus (sup. 2. Ioann. annot. 61). Secundo modo potest intelligi interrogatio illa per modum cuiusdam querimoniae ex affectu materno procedentis, quasi enim filio suo conquerebatur, quod remanserit ipsa nesciente, ex quo maximus cruciatus, sollicitudo, et labor eam vexaverit; nec est indecens querimonia: nam in Scriptura legitimus, quosdam pio quodam affectu querimoniae habere ad Deum, quod sibi non exaudiri ab eo videantur, et Hieronymus illud (Matth. 27): *Ut quid dereliquisti me?* querimoniae quondam interpretatur: ita potuit mater conquiere de filio, quod sit derelicta, non quidem filium increpando, sicut nec filius patrem increpavit. Ac tandem ad stipulantur huic expositioni cardinalis Caetani. (in cap. 3. Luc.) et Iansenius (in sua conc.). quos secutus Chrysostomus Lusitanus (de verb. Dom. tom. secund. cap. 11) haec scripsit: *Haec virgo dicit, non arguendo, sed querulam propriae nescientiae vocem depremoendo; non querendo causam, cur fecerit, cur se a suo, et Iosephi conspectu subduzerit, et subducendo dolorem intulerit; sed solum affectum manifestando: noverat enim Virgo beatissima, noverat, inquam, filium suum, Deum, et hominem, nec posse quidem sine rationabili causa agere. Unde, non filium ob triduanam suam absentiam arguebat, sed tamen de sua nescientia, flii quae absentia dolebat, cuius praesentia ipsi, et Iosepho super omnes mundi delicias dulcior erat. Nec mirum: si enim David in sola Dei memoria adeo delectabatur, ut pro ea omnia negligeret, et negligenda diceret: Revertitur consolari anima mea, memor sui Dei, et delectatus sum, hoc est, nullam in his variis,*

et caducis rebus anima mea consolationem voluit accipere, sed sola Dei memoria delectabatur. Si sola Dei memoria regio prophetiae delectabilis erat super omnia, quomodo ipsius Dei praesentia nostrae Virginis super omnes mundi delicias non esset optata? quomodo etiam ipsa tali praesentia privata, dolens non diceret; *filii, quid fecisti nobis sic?* hoc est; *filii, cur ad istum modum egisti nobiscum? cur te clam a nostris oculis subducisti? filii, quid fecisti nobis sic?* haec ille. Planus ergo, et catholicus sensus est: arbitramur sane, filii, aliquam, et iustam suscepi consilii tui rationem extare, quod hisce tribus diebus a nobis quaeri voleris, cum, ubi esses, ignoraremus; nunc, ut ab omni solitudine liberemur, exponere causam quaeso, qua commotus volueris in te quaerendo nos circumcurisate, tuique desiderio torqueri? cum enim unum nobis sis charissimus, a te etiam ad breve tempus avelli, non potuit nobis non valde molestum, et amarum esse.

Quando autem beata Virgo illa verba protulit: *filii, quid fecisti nobis sic?* num quando erit puer cum doctoribus disputans, an vero finita disputatione, non est una omnium sententia. Nam Canisius (lib. 4. de Deip. cap. 17), et Maldonatus (in cap. 2. Luc.), affirmant verba illa non fuisse prolata a beata Virgine durante disputatione, sed postea, cum dimissis doctoribus solus esset Iesus cum Maria, et Iosepho. Cum enim B. Virgo in eo se constitisset loco, ut a puero videri posset, continuo inspecta matre, finem imposuit disputationi, et comiter salutans doctores, ab eis discessit, et ad matrem venit, ac in eius amplexus ruit. Verum hoc mihi omnino displicet, tum quia illud placuit Calvino (centuria 1. l. 1. in herm. evang.), ubi monet, verosimile sibi esse, ut seorsum, et remotis testibus Maria egerit cum filio, postquam is a conventu discessit; tum quia non id cohaeret cum verbis, quae respondit puer: *Quid est, quod me quaerebatis, nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* quod sane consulto ipse dixit ad docendum doctores ibi adstantes se Patrem habere in coelo. Non ergo Iesus discesserat ab illis, cum beata Virgo illa verba protulit.

Verum, ut haereticorum insaniam hinc inde confutemus, operae pretium erit varias Virginis laudes aperire, quae in verbis illis latent: nam, si primum illorum observemus, dum Iesum vocat *filium*: *Filii, quid fecisti nobis sic?* ardentem amorem erga illum ostendit, nam *filii* graece idem est, quod *amor*. Dum etiam addit doluisse de eius absentia, eiusdem amoris erga Iesum manifestum prodiit argumentum: cum dolor rei amissae ex amore erga illam procedat. Deinde, dum vocat Maria Deum incarnatum filium suum, Dei matrem se profertur, quo nihil commendabilius, et inter puras creaturas laude dignius. Unde egregie d. Bernard. (hom. 1. super missus est) haec ait: *Quod si, et cuius mater, attendas, quo tua super eius mirabili celsitudine, te duceat admiratio? nonne ad hoc, ut te videas non satis posse mirari? nonne tuo, immo veritatis iudicio, illa, quae Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur angelorum?*

an non Deum, et Dominum angelorum Maria suum audacter appellat filium, dicens: *filii, quid fecisti nobis sic?* quis hoc audet angelorum? sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt, et vocati angeli: testante David: *qui fecit, inquit, angelos suos spiritus. Maria vero matrem se agnoscent, maiestatem illam, cui illi cum reverentia servant, cum fiducia suum nuncupat filium; haec d. Bernardus.*

Humilitatem etiam beatae Virginis in illis verbis agnoscit divus Augustinus (ser. 63. de div. c. 11), dum prius nominat Iosephum, quam seipsum: verba tanti patris haec sunt: *Non est praetermittenda, fratres, maxime propter disciplinam sororum nostrarum, tam sancta modestia Virginis Mariae. Christum pepererat, angelus ad eam venerat, et dixerat ei: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius, Iesum; hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. Meruerat parere filium Altissimi, erat humillima, nec se maritum, nec in ordine nominis, praeferebat, ut diceret: ego, et pater tuus; sed, Pater tuus, inquit, et ego: non attendit sui uteri dignitatem, sed attendit ordinem conjugalem. Non enim humilis Christus matrem suam superbiere docuisset, Pater tuus, inquit, et ego, quia caput mulieris vir; haec ille.*

Delegitur deinde in illis verbis insignis prudentia Virginis, dum noluit illa verba proferri a Iosepho, sed a se sola; et cum illa protulit, honoris gratia, vocat Ioseph, *patrem*, intellige putativum, cum vere non fuisset pater: nam non ipse, sed sola Maria, tanquam vera Christi mater libera, ac iure suo mater non utens, ausa est Christum interrogare: *filii, quid fecisti nobis sic?* Delegitur etiam in his verbis: quod in Deiparae commendationem non parum ececidit, acerbis doloris, quem ob Christi absentiam sustinuit, quia verba illa non solum fuere admirantis, sed et dolentis, nec enim rogat, cur id fecerit, aut cur cum doctoribus disputaverit; sed, cur ita se habuerit, ut parentibus incitis tam ingentem dolorem eis incusserit? adverbium etiam illud sic magnitudinem illius doloris aperte indicat: sicut et Ioannis (c. 3) ingentem amorem redolent verba illa: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, et sicut etiam verba illa eiusdem Ioannis (c. 4): Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, magnam vim, et emphasis portendunt: significant enim magnam Christi fatigationem, quae, quia quodammodo ineffabilis erat, ideo Evangelista eam illa tantum particula sic exprimeret studuit; magnitudinem defatigationis non aliter ausus dicere. Ita etiam hoc adverbium sic in his Virginis verbis magnam doloris vim praesefert, quae, quia quodammodo ineffabilis erat, et ad illam exprimebant ipsius Virginis lingua quasi obmutesceret; ideo solum contenta est dicere: *filii, quid fecisti nobis sic?**

Ad extremum, ut paucis multa perstringam, non solum negamus, Virginem Mariam in illis verbis quicquam peccasse, sed etiam asserimus eam utrobique multum meruisse meruit ibi,

quia filio suo, quem afflictum putabat, compatiebatur: meruit, quia Filium Dei curae suae commissum solite quaerebat: meruit, quia tandem eum quaesivit, quamdiu juvenit: meruit, quia conservabat verba eius in corde suo: meruit, quia inventum Iesum benigne alloquitur, dolorem suum ex amore procedentem ei manifestando. Et certe, qui verba illa matris ad filium, *quid fecisti nobis sic?* cum verbis, quae prolaterunt servi ad Dominum, idest propheta ad Deum, conferat, obstupescet super coecitate Haereticorum, qui illa Virginis aspera esse dicunt. Contendit acriter Ieremias cum Deo de illa quaestione: *Quare via impiorum prosperatur? Lamentatur Helias dicens: Dominus Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utrumque sustentor, afflixisti? Irascitur adeo Ionas, quia Deus exsiccavit haederam eius, ut dicit Deo: Bone irascor ego usque ad mortem, et nihilominus nemo propheta arguit, Matrem vero Dei illa amoris plena verba, *quid fecisti nobis sic?* ad filium, quem amiserat, proferentem argunt, et pro maximo peccato reputant. Bone Deus, quanta impietas, quanta insania!*

Ceterum, iam ad responsum Christi, quod his verbis praebuit, orationem convertamus; *Quid est, quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* verba haec increpatoria minime esse, ut contendunt haeretici, tum ex sanctorum Patrum, et aliorum doctorum probata sententia, tum ratione ex historia ipsa evangelica deprompta apertissime monstrabo: cardinalis Toletus (in cap. 2. Lucae) paulo ante annotatione octagesima perdocte asserit, verba haec non esse reprehensionis, sed instructionis, et consolationis, et defensionis eiusdem: instructionis quidem, quia docet quod factum est ab illo, consilio, et mysterio divino gestum esse, ut iis, quae Patris sunt, incumbere; quod statim verbis sequentibus clarius explicat: consolationis vero, quia causam dolendi, et solite inquirendi non fuisse dicit; nec enim quicquam mali ex iis, quae ipsi timerunt, interessit in hoc facto: defensionis autem, quia causam illis dolendi, et anxie quaerendi dedisse, tacite negat; quasi diceret: non ego vobis causam huius cruciatum, et inquisitionis dedi: non enim feci quicquam, inpropter quod revera me dolentes quaerere debuissetis, vos pro amore vestro, et quia ignorabatis rei mysterium, causam vobis ministratis. Ex qua egregia expositione prorsus evanescit alia Haereticorum obiectio, dum dicunt: Si non erat causa, cur quaerent puerum Iesum, ut indicant verba Christi: *Quid est, quod me quaerebatis?* vana igitur, et supervacanea fuit inquisitio illa, et consequenter villosa, et peccaminosa. Sed inanis, immo et nulla est consequutio ista: fieri enim potest, ut quispiam aliquid faciat, motus aliqua existimatione probabili, quibus reipsa non existat quod arbitratur: ut si quis existimans quemdam indigere, ministrat ei, et conferat elemosynam, opus virtutis facit, licet ille vere non indigeat. Nec caruit laude adorato illa Ioannis (Apoc. 19), quando exist-

CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. II.

stimans Deum esse, quem videbat, angelum, uti Deum, adoravit, quousque fuit admittus: *Ne feceris, conservas enim tuus sum, ec.* Nec vitio sunt dandae lacrymae Iacob super Ioseph, quem a hostia occisum existimabat, cum revera viveret; sunt et alia multa huiusmodi exempla. Non ergo reprehendenda fuit beatae Virginis sollicitudo, et inquisitio, nam rationabiliter existimare potuit, filium suum parvulum accommodare se voluisse ceterorum puerorum naturae, sicut in aliiis multis fecerat; quo casu quaerendus, et quidem cum solitudine, erat. Existimatio ergo rationabilis, licet res non ita se habeat, non tollit actum virtutis.

Deinde haec eadem verba: *quid est, quod me quaerebatis?* non esse arguentis, sed mysterium explanantis, non ex liquido constat, quia nulla causa aderat increpandi Virginem: quomodo enim reprehenderet, quod et rite, et tanto cum ipsius amore fiebat? Nec vero similes loquendi phrasae desunt in Scriptura: ex quibus, omissis aliis, duas eiusdem Christi, in medium proferamus. Prima sit illa: cum conversus ad discipulos Ioannis seipsum sequentes, inquit (Joan. 5): *Quid quaeritis?* numquid reprehendit illos, quod eum quaerent, minime, immo tam gratum id habuit, ut eos ad hospitium suum invitaret. Idem penitus hic accidisse, effectus ipse demonstrat: nam sicut ibi discipulos Ioannis amanter suscepit, ita hic non minore cum amoris sui declaratione, cum iis, quos reprehendere dicitur, descendit Nazareth, et erat subditus illis. Sed addamus aliud exemplum: nam et illa verba eiusdem Iesu ad Magdalenam (Joan. 20): *Mulier, quid quaeris? quid quaeris?* idem plane probant: amoris enim potius, et benevolentiae, quam reprehensionis haec signa sunt. O quam facile spiritus haereticus calumnias inhians hinc, non unam, sed et alteram Christum calumniandi reperit occasionem. Cur enim interrogat, quod optime noverat?

His expositionibus addo aliam informandis moribus satis congruam; nimirum, quod verba illa non fuerunt indignantis, sed sapientis magistri, nos erudientis, in evangelico negotio, ad quod missus erat a Patre coelesti, non oportere locum esse cuiquam auctoritati humanae. Habet quidem parentum auctoritas limitis, quos ubi renunciandum est, quoties agitur negotium salutis aeternae: par est enim, ut humana cedant divinis, et prius sit ratio Dei, cui debemus et corpus, et animam, et a cuius benignitate expectamus haereditatem vitae immortalis, quam horum, a quibus iuxta carnem progeniti sumus, et educati, successuri in portione aliquam facultatum terrenarum. Dehemus et his sane plurimum, longe autem plus Deo, cui debemus et ipsos respondere. Sic et postea, parum blande respondit matri, cum in nuptiis impellaret de vino, ac matera quadam, ut suspicari possent circumstantes, auctoritate miraculum exigeret; quod non nisi in gloriae Patris erat promendum. Sic durius etiam respondit iis, qui ipsum a concione evangelica, matris, et cognatorum verbis evocare volebant: *Si ergo propter te Do-*

minus, inquit Ambrosius, *suae renunciavit matri dicens: quae est mater mea? et qui sunt fratres mei? cur tu, Domino tuo cupias anteferri? sed neque ignorare naturam, neque servare naturae Dominus iubet, sed, ita servare naturae, ut veneris auctorem, nec a Domino parentum amore desciscas.* Puer Christus utramque docet, et parentes honorare: nam in hoc loco statim evangelista ait (Luc. 2): *Et descendit cum eis, et erat subditus illis; et illos propter negotium Evangelii, et propter patrem relinquere, ideo ait: Quid est, quod me quaeratis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Quibus verbis, ut id obiter dicam, nos monuit, agnoscendos non esse propinquos secundum carnem, si salutem impediatis: qui enim amat patrem, aut matrem, plusquam Christum, non est illo dignus. Hinc est, quod d. Hieron. (in *epist. ad Heliod.*) ait: *Ecce adversarius Christum in pectore tuo comatur occidere. Licet parvulus ex colto pendat nepos, licet sparsa crine, et scissis vestibus ubera, quibus te nutriat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, non tam involvere, et obscure loqueretur, ut ab iis ipsis, quos arguebat, non posset intelligi, sicut Lucas factum esse describit, sed reprehensionem claram, et apertam illis, quae emendatos volebat, pro sua prudentia, procul dubio exposuisset. Quod si adhuc cuiquam videatur formula illa verborum, quibus Christus matrem allocutus est, duriuscula, et rigorem quemdam redolens, nobilis theologus Hesselius (in *expl. salut. ang. c. 12*) in hunc modum illa interpretatur: *Quod Christus Dominus suos parentes, tanquam eius superior, magna cum auctoritate publice eis allocutus, ut ceteri, qui illum parentibus esse subiectionem, atque morigerum iam ante nocerant, hinc ansam arriperent cogitandi, eum ipsum puerum, amplius, quam hominem esse, sicque paulatim ad pleniorum illius notitiam adducerentur, quem in ipsa pueritia tam mirificis ornatum dotibus deprehenderent; haec ille.**

Ut tamen in hac parte libera omnino maneat b. Virgo ab haereticorum cavillis, illum omnium fortissimum non praeteribo quin illum evanescere faciam. Nam videtur, inquit, manifestam Virginis negligentiam, et incuriam ex eo convinci, quod sustinuerit per integrum diem, ut ait Evangelista, *iter unius diei*, praesentia pueri Iesu privari; maxime cum illo in aetate tam tenera esset, et in itinere extra patriam, et habitationem propriam, quod vix communes matres ferrent. Ceterum non est difficile hunc nodum solvere: nam cum b. Virgo sub humana Christi carne Verbum divinum, Patris sapientiam, latere firmissime crederet, ideo eius arbitrio multa relinquerebat, secura nihil inde praeter illius volentem eventurum. His etiam accedit consuetudo illius regionis, ut ex Evangelistae verbis constat: comites enim viae multi erant, et quidam praeciperent, quidam sequi solebant, usque ad terminum diei, quando conveniebant ad divertendum in locum quietis: solebant etiam parvuli accedere notis, et amicis, aut sponte, aut ab ipsis tracti. Noluit ergo pissima mater negare filio, quod suis etiam filiis aliae matres con-

cedebant, non ex amoris erga illos tepiditate, sed potius ex vehementia, nolentes eorum votis contradicere. His de causis b. Virgo integro die a filio absuit, quod non negligentiae, sed amoris, et reverentiae est ascribendum.

Porro, iam accedamus ad Calvinum, et aliorum Haereticorum tela infringenda, quae adversus irreprehensibilem Virginem coniectum, ex illis verbis (Matth. 12): *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei:* etc. verba Calvinii (in *harm. evang.*) haec sunt: *Non dubium est, quin his verbis carpatur Mariae importunitas, quae certe praepostere cursum doctrinae eius abrupte tentabat.* Brentii etiam illa est raucata vox (hom. 28. in cap. 8. Luc.): *Mater igitur et cognati Iesu ambitione cursum doctrinae eius abrupte tentabat.* Brentii etiam illa est raucata vox (hom. 28. in cap. 8. Luc.): *Mater igitur et cognati Iesu ambitione cursum doctrinae eius abrupte tentabat.* Brentii etiam illa est raucata vox (hom. 28. in cap. 8. Luc.): *Mater igitur et cognati Iesu ambitione cursum doctrinae eius abrupte tentabat.*

Putat equidem Brentius Mariam accupandae gloriae causa, iussisse vocari Iesum, et incivilliter interpellasse disputantem. Consulto missam facio insaniam Marcionis asserentis Christum illa verba dixisse, ut matrem, et fratres negaret, quia erat velut Melchisedech absque patre, et matre, quod acriter impugnat sanctus Epiphanius (*haeres. 42*), necnon d. Hieronymus, et Chrysostomus (*sup. hunc loc.*). In primis ergo multi putant, nuncium illum, qui Christum concionantem interpellavit, minime fuisse a beata Virgine missum; ut enim recte adnotavit Canisius (*lib. 4. de Deip. cap. 21*), posuit interruccus, quisquis ille fuerit, vel praeter, vel contra eius mentem Christum praedicationis tempore importune interpellasse. Cum ergo ex evangelica lectione, aut traditione aliqua non constet, Mariae iussa, aut suasionis id factum esse, frustra, et absque ulla causa Haereticum in Virginem stomachantur, importunitatis, et imprudentiae illam arguentes. Quod si demus, Virginem nuncium illum misisse, egregie eam ab omni culpa immunem probat insignis theologus Hesselius (in *expl. salut. Ang. cap. 21*) dum ait: *Non ob hoc eadem Virgo arguenda imprudentiae est, quod ad filium, cum in templo praedicaret, forsitan miserit nuncium, qui eum vocaret: non enim cupivit eum impedire a praedicatione verbi Dei, sed et tantummodo significari voluit, quod quando ei placeret, sive praedicatione finita ei loqui cuperet.* Alii cum Maldonato (*super cap. 12. Matth.*) opinantur, nuncium illum ab Apostolis solum missum fuisse, cum ipsi, prae multitudine auditorum, ingredi non potuissent. Quod si ita contigit, tota haereticorum calumnia adversus Virginem corruit, cum ipsa non interpellaverit per se, nec per intermedium nuncium, Christum concionantem. Quod si d. Hieronymo ut par est credimus (in *cap. 12. Matth.*) verba illa Christi Domini, quae asperiatem praesertim videntur, *quae est mater mea? et qui sunt fratres mei?* nulla ratione Christus Dominus direxit ad Virginem, sed ad nuncium, qui malo animo matrem, et fratres adisse renuntiavit, ut exspectaretur, et consanguineorum affectu tangeretur; ideoque illi, tanquam insidiatori aspere respondit. Fallunt ergo, qui verba illa Christi Domini in Mariae deloquentur iniuriam.

Sed iam varia mysteria, quae in illis latent,

ad quae Christus respiciens, ea protulit, ex sanctorum Patrum officina detegere incipiamus. D. Gregorius (*hom. 3. in Ev.*) in hunc modum loquitur: *Mater Domini, quasi non agnosceret, forsitan stare perhibetur, quia videlicet Synagoga fidei circa ad auctore suo non recognoscitur, quia legis observationes tenens, spirituale intellectum perdidit, et sese ad custodiam literae formae fecit;* haec d. Gregorius. Divus autem Chrysostomus (*homil. 45*) mysterium aliud aperit in haec verba: *Probat Dominus nec matrem, nec fratres suos, nec quoscumque alios sua fretos necessitudine, virtutem negligere oportere.* Nam, si nullam matrem, etiam in quantum mater, utilitatem consequitur, nisi virtutem colat, multo minus alii necessitudine salvabuntur. Una enim sola, et vera, communis nobilitas, atque necessitudo cum Christo est, ut voluntatem Dei facias: hic propter iniquitatis modum melior illo est, ac uberior. Quae omnia probo tenentes, ne de florum gestis gloriemur, nisi virtutes corum imitemur; nec de parentum nobilitate quicquam nobis arrogemus, nisi probam eorum vitam sequamur: potest quippe, etiam quae non genuit, mater esse, et, quae genuit, eodem modo non esse. Ideo alibi, cum multo quaedam dixisset: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suavis: non respondit: nullus me portavit venter, nec nulla tibi ubera suxi; sed: beati, qui faciunt voluntatem Patris mei.* Vides, quemadmodum nulli conunctionem hanc naturae hominum negat, sed addit semper quia a virtutibus est. Ibidem etiam idem sanctus Chrysostomus aliud arcanum non contemnendum pandit, dum ait: *Nunc vero non tantum honoris matri conferre videtur, quantum in cruce pendens confatur, quoniam fratrum, qui nudum hominem illum censebant, inanem ambitionem eicere studebat.* Ac tandem d. Ambrosius (*sup. Luc. cap. 8*) eadem Christi verba exponens, praecclare dicit: *Nec iniuriose refutantur parentes, sed religiosose copulae mentium docentur esse, quae corporum: et in eundem locum haec, quae sequuntur, sapienter adiunxit: Moraliter magister, qui se ceteris praebet exemplum, atque ipse praceptor, ipse etiam suorum exceptor esse praceptorum: praescripturus enim ceteris, quoniam, qui reliquerit patrem, aut matrem suam, non est Filio Dei dignus, sententia hinc primis ipse se subiecit; non quod materne refutet pietatis obsequia, ipsis enim praecipuum est: qui non honoraverit patrem, et matrem, morte moriatur; sed quia paternis se ministeris, amplius, quam maternis affectibus debere cognoscit.* His accedunt quae perdoctae, et eruditae scripsit Abbas Guericus discipulus d. Bernardi (*serm. 4. de Assum. Mar.*), qui tantum abest, ut putet Christum Dominum matrem increpasse illis verbis: *quae est mater mea, ut potius dicat, duplici honore illum honestasse; verba eius sunt haec: Inque Mariam, quae secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Iesus probat, quandoquidem et ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa praediceret Pater: vocaberis voluntas mea: igitur ubi eam visus est ignorasse filius, ibi amplius honorasse invenitur, dum ei scilicet materni nominis honos duplicat-*

tur pro eo, quod eundem filium, quem alio gestaverat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum; haec ille.

Verum, non contenti Haeretici, quod tentarint, peccati macula voluntatem Virginis labefactare, intellectum etiam eius erroris, et ignorantiae naveo obscurare, et obnubilare sagunt, temere existimantes, manifesto errore laborasse, dum efflavit filium esse in comitatu, ut ait Evangelista, et tamen non erat ibi. Deinde aium, ignorantem fuisse, cum non intellexerit verba Christi Domini, Evangelista dicente (Luc. 2): *Et non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.* Ita affirmarunt Novatores Lutherus (super Dominicam primam post Epiphantem), Pelicanus, Calmanus, et alii (in cap. 2. Luc.), immo Lossius (in annotantibus in Luc. cap. 2.), et Brentius (homil. 2. in Luc.) non veretur dicere, *Christi parentes propter carnalem imaginationem de regno temporali Messiae verbum Domini non intellexerunt; expectabant enim in Iesu, non doctum quemdam Rabinum, sed illustrem in hoc saeculo regem.* Eodem errore tenetur Dominica prima post Epiph. Spangenbergius, inverecunde affirmans, *Christi parentes rerum sacrarum adeo ignaros fuisse, ut putarent, illum futurum vel potentem, et pompaticum regem Israel; sic enim loquitur: Inter expeditos exercitus arma tractaturum, non autem Scripturae doctorem, vel magistrum in Israel exeurum esse, putabant.* Verum omissio hoc impudentissimo delirio: nam, cum angeli plura Mariae, et Ioseph de conceptione Christi Domini, de impositione nominis, ac de eius regno spirituali praedixissent, et maxime illud (Luc. 1): *Ipsa enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* aperiissime inde constat, non potuisse in mentem eorum hanc erroneam cogitationem de pompatico Christi regno incidere. Transeo ad errorem, seu falsam existimationem, qua Virgini impouunt ex eo, quod putaverit Christum esse in comitatu, cum revera non esset: ipsi certe toto coelo errant, quia nulla ratione dici potest errare, aut decipi quispiam, qui probabilibus rationibus ductus, iudicat verosimile esse aliquid sic, vel sic contingere. Beata autem Virgo putans Christum esse in comitatu ex probabilibus coniecturis, revera non errabat, quia non iudicabat per firmum, et indubitatum assensum, Christum ibi existeri; sed verosimile sibi videri, quod ibi adesset. Etenim cum beata Virgo haberet plenum dominium suarum potentiarum, summanque prudentiam, absque ullo inordinato motu, facile poterat nunquam definite iudicare de rebus incertis, sed, vel suspendere, vel iudicare, hoc esse probabile, aut verosimile; quo etiam modo ipsi etiam beati de his rebus, quas certe non norant, nisi divina revelatione instruantur, iudicium ferunt absque ulla prorsus deceptione; quos quidem in hac perfectione imitata est beata Virgo, iudicans in re illa incerta verosimile esse, quod Christus existeret in comitatu. Unde miror valde, nostrum Cordubensem, aliquo virum doctissimum (lib. 1. sui quaest. qu. 46) dicere, b. Virginem tunc fuisse deceptam; melius certe loquantur, ut tantae

matri debitum est, alii Doctores; nam antiquus theologus Maior (in cap. 2. Luc.) inquit: *Altius rimanti visum est absconum a vera pietate admittere, ullum errorem etiam speculativum in Dei Genitricem cadere.* Huius vestigia sequens Primarius Salmanticensis (Med. 3. par. q. 30), quod ex ea, ait, esse *Messias nasciturus, omnino ignorabat; immo quidam dicunt, quod ex humilitate existimabat oppositum; quibus ego non assentior, nam existimo, quod nunquam habuit assensum erroneum, et fallacem, sicut nunquam habuit actum inordinatum appetitus, aut voluntatis.* Quod sane ita fuisse ex eo facile mihi persuado, quia, ut docent s. Thom. (1. p. quaest. 94. art. et de ver. quaest. 16. ar. 6), et d. Bonaventura (2. q. 23. quaest. 2), Durandus, et alii theologi ibi: *primi parentes in statu innocentiae permanentes non potuerunt decipi, ut aperte tradit d. Augustinus (lib. 3. de lib. arb. cap. 18), dum ait: Approbare vera pro falsis, non est natura instituti hominis, sed damnati.* Igitur cum haec perfectio daretur primis parentibus, non est credendum illa caruisse Matrem Dei, iuxta sententiam divi Bernardi (epist. ad Can. Lugd.), quod *alitis, licet paucis, fuit datum, non creditur, Mariae fuisse denegatum.* Deinde quia, qui beatam Virginem credunt originalis peccati labem non contraxisse, ex consequenti credere debent, omnem errorem, et deceptionem longe ab ea relegendam, cum haec sit poena peccati originalis, non alteri merito infligenda, quam contrahentibus illud. Nec rivo respondere, quod si firma esset haec ratio, neque deberet sustinere mortem, quia etiam mors corporalis data est in poenam peccati, per quod illa intravit in orbem terrarum: nam mors secuta est in Virgine non ut poena peccati originalis, quod nunquam contraxit, sed ex conditione naturae humanae, quae divinitus non praeservata, ad corruptionem tendit. Concludo, dicens, in beata Virgine non fuisse unquam errorem positivum praeviae dispositionis, nec ignorantiam privativam, quae importat carentiam alicuius cognitionis debitaee suo statui, sed solum pure negativam, ut loquuntur theologi, quia cum non omnia sciret, proficiebat semper in scientia, et ex inscia conscientia fiebat amplius, et amplius divinarum arcanorum.

Denique, iam solum restat, ut expositioni illorum verborum: *Ipsi non intellexerunt ea, quae locutus est Dominus ad eos,* calanum admoveamus. Quidam moderniores volunt, verba illa per synecdochen intelligenda esse, accipiendo partem pro toto; ut scilicet pluraliter dicatur de multis, quod in aliquo tantum accidit, sicut dicuntur latrones blasphemasse Christum, quamvis bonus latro non blasphemaret; sic autem, dici ab Evangelista, *Ipsi non intellexerunt,* quia Ioseph, quae dicebantur, non intellexit. Alii affirmant, verba illa non esse referenda ad Virginem, et ad Ioseph, sed ad auditores illos, et quibus paulo ante d. Lucas dixerat, quod *stupebant super prudentiam, et responsis eius:* quos, ait, non intellexisse quae dicta fuerant Virgini, et Iosepho a Christo Domino. Alii interpretantur,

quod licet revera beata Virgo, et Ioseph non intellexerint verba illa Christi Domini; id tamen non fuit ex ignorantia, aut ex defectu cognitionis supernaturalium mysteriorum, sed quia, vel vehementi solitudine inauditi, novi, et inopinati spectaculi admiratione percussis, vel certe expectanti laetitia, et gaudio, ob inventam margaritam, absorbi, ad verba, quae Christus protulit, non attenderunt. Alii cum Euthymio (super cap. 2. Luc.) verbum non intellexerunt putant, nihil aliud significare, quam quod non intellexerint, quod templum, rem Patris sui appellasset. Rupertus vero cum aliis (lib. 2. in Cant.) diversam omnino viam ingrediens, in principio duo supputat Mariae tempora: unum tacendi, dum Christus in terris docebat, alterum loquendi post Christi ascensionem in caelo. Hoc supposito, docet Rupertus, quod beata Virgo, instar aliorum, pro ignorante se gesserit, agnitionemque mysterium celaverit, ut suo tempore illud manifestaret: hoc enim eodem modo Christus dicitur ignorare diem iudicii; non quia illum non agnoscat, sed quia non agnoscat ad delegendum: potesque haec expositio non leviter confirmari ex verbis d. Bernardi (hom. 4. sup. missus), qui loquens de eximia Virginis scientia, docet, illam per angelum, priusquam ab ullo homine traditum esset evangelium, omnia accepisse: *Ne Mater Dei a consiliis filii videretur amota, et eorum, quae in terris tam probe gererentur, remansisset ignara.* Ego vero aliorum doctorem expositionem sequens, arbitror, b. Virginem, et Iosephum plane intellexisse, Christum Dominum locutum fuisse de Patre suo aeterno, cuius negotia dicebat se agere oportere; nec enim id post angelos, post Pastores, post Magos, post Symeonem, post Annam, poterant ignorare Christi parentes: sed mysterium nimirum Verbi non intellexerant, quae essent negotia illa Patris ipsius, quae vocabat: ut homines primum doceret, deinde pro illis moretetur. Itaque dicuntur, non intellexisse Christi verba, quia non satis comprehenderunt, quaenam essent res illae ad aeternum Patrem pertinentes, in quibus Christum occupari, et propter eas parentes suos relinquere oportuerat; vel etiam, quia non intellexerunt, a significare voluerit Christus appropinquasse iam tempus manifestandi seipsum mundo, et inchoandi humanam redemptionem, ut notavit lansenius (ad cap. 11. conc.). Sed posset quispiam merito interrogare: ut quid ergo Christus Dominus verba illa protulit, quae aliquo praecognoverat, nec a circumstantibus, neque a Iosepho, neque ab ipsa beata Virgine fore intelligenda? *Ipsi non intellexerunt quae locutus est ad eos.* Spiritus sanctus enim dicit (Ecl. 32): *Ubi non est auditus, ne effundas sermonem.* Supervacanea ne verba proferre potuit sapientia Patris? minime certe. Illud ergo sacrum arcanum arbitror in illis verbis latere, quod per illa docere voluit Christus Dominus divini verbi praecones, ac evangelicae doctrinae magistros, ne eas esse nolle proponere sublimia mysteria auditoribus, praetextu incapacitatis eorum, tum quia inter multos forsitan unus adest, qui

illa percipere valeat: tum quia, quae nunc auditores non percipiunt, postea tractu temporis percipere valent, maxime si eadem sibi repetantur: quemadmodum enim bonus agricola furculum inserit arbori, et grana frumenti seminat, licet non statim colligat fructus, sed aliquandiu expectet, certe sperans, se illum collecturum: ad eundem modum seminavit Christus verbum suum, quod est semen Dei, in cordibus hominum; et quamvis multi illud non conservarint in agro cordis sui, de beata tamen Virgine audis (Luc. 2): *Et mater eius conservabat omnia verba haec, confersens in corde suo.* Non ergo in vanum Christi lingua illa protulit verba, cum et beata Virgo illa conservavit, et perfecte postea agnovit, ac Ecclesiae catholicae ad illa scrutanda, et ex eis varia documenta erenda proposuerit, prout sancti Patres a me citati illa sapienter eruenter.

Atque ex omnibus a me dictis in hoc discursu, arbitror, me si non pro dignitate rei, saltem pro viribus, quamquam exiguis, innocentiam immaculatissimae Virginis ab Haereticorum importunissimis conviciis vindicasse, sacrarum Conciliorum vestigia in hoc sequutum: nam quatuor prima concilia generalia, quod singulari observatione dignum iudico ad Virginis commendationem, quibus magnus Gregorius, vel quatuor Evangelii, venerationem exhiberi vult, inter alia haec praecipue praestiterunt. Primum Niceoenum, honorem filii, et consequenter honorem etiam Patris contra Arium defendisse perhibetur; secundum, scilicet, Constantinopolitanum, divinitatem Spiritus sancti statuisse; contra Macedonium novimus: tertium, scilicet Ephesinum, ad tuendam formam Dei dignitatem contra Nestorium esse congregatum, nemo est, qui ignoret, in quo tam multa sunt dicta de laudibus sanctitatis, et puritatis Virginis, ut vix aliquid aliquid posse videatur; quae postea in quarto concilio Chalcedonensi, et in quinta et sexta Synodo, atque in ceteris usque ad Tridentinum confirmata sunt, ubi definitur, nulla actualis peccati labe unquam Dei Matrem inquinatam fuisse. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA XIV.

*Mirabile suae prudentiae specimen ostendisse beatam Virginem, dum verba, et gesta Christi Domini in pectore suo recordabat, in illa verba: Mater autem conservabat omnia verba haec: quae iuxta sanctarum Patrum, et aliorum interpretum sententiam multifariam explicantur.*

In varias videtur abire sententias sacrarum literarum interpretes in elucidatione horum verborum (Luc. 2): *Mater autem conservabat omnia verba haec in corde suo:* nam Titus Bostrensis episcopus refert haec verba non tan-

tum ad ea, quae dixerit tunc Christus; sed etiam ad praerita, quae ab angelis, pastoribus, Symeone, et Anna audierat: Haec omnia, inquit, b. Virgo conservabat in corde suo, et inter se illa conferebat. At Euthymius opinatur, non esse referenda haec verba ad omnia praecedentia, sed ad proxima, nimirum, ad verba, quae Christus Dominus protulerat: Quid est, quod me quaeratis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? Cardinalis vero Toletus (in com. luti. loc. annot. 85) arbitratur, referenda esse non solum ad proxima verba, ut Euthymius docet, sed etiam ad facta, ut, quod remanserit solus in Jerusalem, quod inter doctores fuerit reperitus, et, quod descendens cum parentibus, eorum imperio obediens. Neque huic intelligentiae quicquam obstat, quod Evangelista dixerit, quod mater conservabat verba, non vero asserat, conservasse facta; quia satis usitatum est in sacra Scriptura, verbi nomine non solum dicta, sed etiam facta significari: etenim (2. Reg. c. 1) legitur: Quod est verbum, quod factum est? indica mihi: et (1. Reg. 3): Ecco ego faciam verbum in Israel: et (3. Reg. 3): Quia postulasti verbum hoc. Unde et in hoc sensu Euthymius (in cap. 2. Luc.) explicat illud: Videamus hoc verbum quod factum est; hoc est, mirabile hoc opus natalis Christi in Bethlehemi. Aliae haec videtur mihi germanior intelligentia horum verborum: conservabat igitur b. Virgo in pectore suo tam verba, quam facta filii sui, non enim cor eius erat instar cordis hominis stulti, de quo Ecclesiasticus (c. 21) dixerat: Cor fatui quasi vas contractum, et omnem sapientiam non tenebit; sed instar illorum, de quibus Christus Dominus dixit (Luc. 11): Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Quamvis autem hoc loco saepe Evangelista reticeat, quod b. Virgo conferebat ea, quae conservabat in corde, iam id ipsum paulo ante dixerat (sed. c. 2): Maria conservabat omnia verba haec confers in corde suo. Quae autem essent extrema huius collationis, non est una omnium sententia. Euthymius ait, quod conferebat sequentia cum praecedentibus magnam omnium ad incarnationis mysterii confirmationem, fidem, et consensionem animadvertens. Divus vero Bernardus (ser. super sig. magnam), et Theophylactus, omnia quae dicta, et operata sunt, salutationem angelicam, conceptum sine viro, partum sine dolore, paslorum adventum, regum adorationem, fugam in Aegyptum, disputationem in templo, et similia, putant b. Virginem in corde suo contulisse, et miram eorum cohaerentiam, et consonantiam penetrasse. Venerabilis autem Beda aliam viam ingressus, cum prophetaurum vaticiniis Mariam quae loquebantur, et fiebant, contulisse docet in haec verba: Quia sanctas Scripturas legerat, et sciebat prophetas, conferebat ea, quae secum sunt acta de Domino, cum his, quae noverat a prophetis scripta de Domino, et collata ad invicem; cognovit, instar coelestium cherubim socia suis vultus luce, concordia. Dixerat enim Gabriel: Ecce concipies in utero, et paries filium. Praedixerat Iasias: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.

Praedixerat Michaeas, filias Sion in turris gressis adventuras, et potestatem primam tunc esse venturam. Dicebant pastores supernae scilicet civitatis, in turris gressu apparuisse cohortes, quae natum caneret Christum: legerat Maria: bos cognovit possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui. Videbat praesepe, Dei filium vagientem, qui homines salvaret, ac iumentis; et in his singulis, atque huiusmodi conferebat quae legerat, et comparabat his quae audiebat, et videbat; haec tunc Beda. Ecce igitur erant duo illa testamenta vetus, et novum, velut cantica quaedam suavissimo concentu Christum annunciantia, et quasi duo seraphin alternis vocibus sibi invicem respondentes, et clamantes: Sanctus, sanctus, clamantes, inquam, instar echo: nam quicquid novum testamentum clara, aperta voce proclamavit, vetus ex reconditis antiquitatis cavernis non clare, et articulato, sed rauco, et confuso sono promit. Beata igitur Virgo vetusta cum novis inter se conferebat, ut non immerito dicere posset illud sponsae (Cant. 7): Omnia poma nova, et vetera servavi tibi, dilecte mi. Unde sicut antiqui prophetae, ex his, quae sibi in universali revelabantur, particularia quaedam speciali diligentia colligebant, iuxta illud (1. Petr. 1): De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaerunt, scrutantes, in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi; ita beata Virgo, instar sacri animantis, ruminabat diligenter, et scrutabatur religiose dicta, et facta Christi Domini, immo et quae circa illum ab aliis dicebantur, et agebantur, adeo ut Beda dixerit (in cap. 2. Luc.): Virgo autem, quae intellexit, seu quae necdum intelligere verba evangelii potuit, omnia suo pariter in corde ruminanda, et diligentius scrutanda recondebat. Atque hinc est, apposite satis d. Ambrosium (ser. 81) Mariam arcae foederis comparasse: Arca, inquit, intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat haereditatem: illa intra semetipsam legem, haec evangelium retinebat: illa Dei vocem habebat, haec verbum. Arca intus forisque auri nitore radiabat, sancta Maria intus forisque virginitatis splendor fulgebant. Ac rursus Mariam celebrat, quae non minus ore pudica, quam corpore, secreta, quae noverat, nulli divulgavit, sed tacito corde perestigavit: congruum nempe tempus, quo haec Deus populari vellet, reverenter expectans, ut etiam observavit Lyranus in eum locum. O praeclearum exemplum evangelicis pectoris divinas opes tam prudenter custodientes. Non est Maria otiosa spectatrix, vel negligens auditrix eorum, quae sese passim offerebant, sed sedula meditatix, et observatrix, ut sacro, et arcano cordis sui serinio illa divina dispensationis opera commendaret, commendataque retineret, ne unquam effluerent: nec enim sibi tantum, sed et aliis mater provida inservebat, et pretiosum pararet thesaurum opportune aliquando deponendum, multisque utilissime communicandum, ut adnotarunt praecipiti patres; unde et Zachar Chrysopolit. (in Montessoron) haec ait: Omnia, quae de Do-

mino, vel a Domino dicta, vel facta cognovit, sicut intellecta, sive non intellecta in memoriam recondebat, ut tempore suo uniceversa, prout gesta erant, intelligeret, et quaerentibus explicaret. Euseb. autem Emyssenus (in hon. luti. myst.). Nisi enim, inquit, ipsa conservasset, non ea haberemus, de eius namque thesauris nus ista accepimus: quae enim de Christi puritatis leguntur, a sanctissima Virgine accepta leguntur: quae non modo verba ista, sed, et pastorum, Magorum, Symeonis, et Annae in corde condidisse dicitur, nimirum, quae aliquando revelaret. Hinc et Ignatius ad eam scribit, ut Apostolorum doctrinam, quae, ut habet Hieron. (orat. de Assumpt. Vir.), multa cum illis contulerit, et eos de his, quae nec viderant, nec audierant, informaret: et quidem si beati sunt, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud; haec ista est Virgo, quae tantum nobis thesaurum recondidit, quem in omnium edificationem profunderet. Ita Danieli dictum est (c. 12): Tu autem claudes sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. Hinc (Ecles. 9): Omnia usque ad responsum cor sapientis intelligit. Sic (Marc. 9) discipuli qui Christum transfiguratum viderant, et verbum Patris audierant, continuerunt verbum illud apud se, donec scilicet, quae acceperant, quasi fidei symbola, mutuo conferrent, iuxta illud Pauli (ad Gal. 2): Contuli cum Apostolis evangelium quod praedico in Gentibus. Bed. (tom. 7. in hom. hymnal. de temp.): Imitemur et nos, fratres mei, piam Domini matrem, ipsi quoque omnia verba, et facta Domini, ac Salvatoris nostri fide in corde conservando, horum meditatione divina, et nocturna importunos inanium, necentiumque cogitationum repellamus incursum; horum crebra collatione et nos, et proximos nostros a fabulis supervacuis, et a detractionum colloquiis castigare, atque ad divinae frequentiam laudis accendere curemus. Greg. Pap. (lib. 16. moral. in Iob c. 17) istud comparat cum eo quod dixit Iob (c. 23): Et in sinu meo abscondit verba oris eius. In sinu enim cordis verba Dei abscondimus, inquit, quando mandata illius, non transitorio, sed implenda opere audimus. Hinc est, quod de ipsa matre Virgine scriptum est: Maria autem conservabat omnia verba haec confers in corde suo.

Sed ad Virginem rediens, inter alia non pauca praeconia, quibus dignam se praebuit b. Virgo, dum conservabat verba, et gesta Christi Domini in corde suo, ob insignem praecipue prudentiam, quam in hoc facto ostentavit, singulari commendatione a nobis exaltari promeretur. Quare ad illam manifestandam, consulto d. Lucas bis illa verba protulit (in eod. c. 2), consulto etiam, cum aliquoquin multa alia in plurali de Maria pariter, et Ioseph dixisset, ut, quod Christum ambo quaesissent, ambo dolentes essent, ambo admirati fuissent, quod tum verba Christi corde suo servaverit, soli Mariae in singulari tribuit: Mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo. Quo duo sine dubio significare voluit Evangelista, tum excellentissimam eius fidem de divinitate Christi super reliquos omnes, ut hoc loco adnotavit Origenes dicens:

Plus aliquid, quam de homine suspicabatur. Unde et custodit omnia verba eius in corde suo, non quasi pueri, qui duodecim esset annorum, sed eius qui de Spiritu sancto conceptus fuerat: tum etiam ad deo laudandam singularem Virginis prudentiam, quae tametsi nonnulla non intellexerit, et quae ab aliis in eius laudem dicebantur, margaritas esse, et pretiosissimas gemmas, omnia colligebat, opportuno tempore non parum profutura sperans, quando scilicet singula sacris scriptoribus ipsa reserata foret, ut adnotavit d. Bernar. (hom. 4): Ne Mater, inquit, a consiliis videretur anola, si eorum, quae in terris tam probe geruntur, remansisset ignara, rerum tempus, et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus, ac praedicatoribus evangelii, reseraret veritatem. Ut enim tradit b. Birgitta (1. 6. Revel. c. 58): Christus Dominus adhuc etiam puer in privato, ac domestico cum Matre contubernio, multa arca illi abscondita aperiebat; quod non solum fecisse putandum est, ut eam magis illuminaret, sed ut aliorum etiam ipsa esset illuminatrix, prout nomen Mariae praesefert, quod Illuminatrix interpretatur. Atque in hac diligentia, quam in conservandis Christi Domini verbis exhibuit b. Virgo, fecisse mihi videtur iuxta morem eorum, qui arborum fructus, ne marcescant, et pereant, prudenter saccharo decoquant, ut sic facile illos per longum tempus conservent: non secus quidem b. Virgo, ne verba Christi, quae fructus erant verae arboris vitae, perirent, assidue suae ac dulcis meditationis saccharo prudenter illa decoquebat, ut sic in pyxide cordis sui ea nobis conservaret (Luc. 2): Maria autem conservabat omnia verba haec. Hanc singulariter prudentiam, quae Virgo in hac et in aliis suis actionibus mirifice praefulsit, variis metaphoris illustravit sponsus in suo epithalamio; nam (c. 6) ad Virginem dixit: Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum. Clare patet, sermonem hic non esse de corpore naso sponsae, nam vice laudis, nasutae opprobrio illam afferret; quare supponendum est, nomine nasus prudentiam, seu donum discretionis significari: nam sicut nasus odores a factoribus longe discernit, ita prudentia, et discretio donum, sagacissime etiam a longe malum a bono discernere norunt. Unde d. Bern. (ser. 49. in Can.) ait: Discretio quaedam moleratix est, et auriga virtutum, ordinatixque affectuum, et morum ductrix; tolle hanc, et virtus vilium erit; ipsaque affecto naturalis in perturbationem magis concertetur, et exterminium naturae. Ut ergo sponsus significaret, prudentiam, et discretionem valde in b. Virgine vigere, ait: Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum. Et quidem in primis, specie magna est turris pulchritudo, et relictudo, ut neque in illam partem deflectat, sed quod adamussim, et per pendiculum facta sit, ita discretio b. Virginis eam relictudinem semper habuit, quae ad obedientiam regulam, et

normam continuo esset directa. Noverat bene hanc doctrinam Cassianus (*lib. coll. 2. cap. 10*), cum dixit: *Verā discretio non nisi vera humilitate conquiratur, cuius humilitatis haec est prima probatio; qui universa, non solum quas agenda sunt, sed etiam, quae cogitantur, seniorum scrutentur examina, ut nihil quis suo iudicio credens, illorum per omnia definitiōnis acquiescat, et quid bonum, vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat.* Discretio, quae hac rectitudinis conditione caruerit, nedum haud laudabilis, sed ut maxime damnable reputatur a patribus. Celebratur autem discretio, et prudentia virginis ex eminentia quoque seu celsitudine, quia, sicut nasus praecernit universis membris, et sicut turris reliquis aedificiis, ita b. Virginis discretio, et prudentia, discretiōis, et prudentiae omnium sanctorum superior exiit. Unde, sicut olim Hebraei ad insignem illam foeminam Deborah, tanquam ad oraculum, in rebus arduis confugebant, non secus apostoli ad beatam Virginem, tanquam ad insignem magistrum, et doctricem, ut in obscuris illuminarentur, et in dubiis edocerentur, frequenter confluebant, ut ex d. Bernardo supra ostenditur. Deinde commendatur discretio Virginis, quod sicut existens in erecta turri; quae inferius sunt, diiudicat, et inimicos ab amicis discernit, ita b. Virginis discretio lupos agnoscit pelle indutos ab agnis ovillis, cutus pastor Dominus erat, facillime discernbat: quod enim multis sanelis concessum fuit ad tempus, et in intima cordium aliorum penetrarent, id post Christi conceptionem pro totum vitae suae tempus Virgini fuisse denegatum, verosimile mihi non est. Tandem beatae Virginis discretio eo praesertim extollitur encomio, quod sicut turris in altum erecta formidare compellit hostes, ita b. Virginis discretio hostibus humani generis melos inculit; haec enim ratione specialiter comparavit illam sponsus turri Libani, quae respiciebat contra Damascum: nam, ut interpretes huius loci adnotant, turris illa aedificata erat ad excubias faciendas contra Damascenos, et Syrios, quae e Damasco totius Syriae capite Iudaeam infestabant, ut non obscure etiam colligitur (*ex lib. 4. Reg. cap. 24*). Nominē autem Damasci daemones apte intelligi ex eo aperte constat, quod Damascus interpretatur *sanguinis potus*: vel ut alii volunt, *sanguinis osculum*; est autem manifestum daemones animarum nostrarum sanguinis sitientissimos esse, adeo ut Iob (*c. 40*) diceret: *Absorbebit fluxum, et non mirabitur, et habet fiduciam, quod inflat Iordanis in os eius.* Nec id quod, tanquam difficile, et arduum propter nimiam daemonis insolentiam, proposuit Deus Iob, dicens: *Namquid illud ei, quasi avis, aut lipibus omni ancillis tuis?* quasi diceret: minime id poteris, id tamen revera potuit illa una ancilla, quae dixit: *Ecce ancilla Domini, facti mihi secundum verbum tuum:* illa enim non solum compressit daemones, et illum alligavit, sed et caput eius ad maiorem Christi gloriam contrivit. Qui cum Patre, etc.

## HOMILIA XV.

*Agitur de obedientia, et gratitudine, quam praestare debent parentibus filii, ad exemplum Christi Domini, qui matri suae et obedientissimus, et gratissimus semper exiit; in illa verba: Et erat subditus illis.*

Tanquam inauditum portentum referant divina eloquia solare astrum obediens imperio Iosue, ita ut illo inbente, ne cursum suum ultra pergeret, continuo immotus persisterit: *Sol contra Gabaonem ne moveris, et luna contra vallem Ayalon: steteruntque sol, et luna.* Verum, si ad verba, quae sacer Evangelista refert (*Luc. 2*): *Subditus erat illis, mentis aciem convertamus, aliud in eis portentosum magis prodigium detegemus, nimirum, quod Sol iustitiae, non pura creatura, sed Deus ipse imperio Virginis incontinentem parebat; quod excellentius multo esse quam illud ex multiplici capite deprehendo. Primo, quia obedientia illa, quam sol exhibuit Iosue, metaphorica erat, cum expertus esset ratio; ad quam praestitit Iesus Mariae, vera obedientia fuit, et omnium perfectissima: cum enim ipse legem tulisset filiis de obediendo parentibus, ipse etiam eandem exacte implevit, ne alioquin sibi diceretur: *patere legem quam tulisti:* unde dicitur: *digna vox est maiestate regnantis legibus alligatum se Principem confiteri.* Verum in Christo multo id dignius, ad exemplum profundae humilitatis, et inauditae obedientiae inobediēti mundo exhibendum. Nam si tanto maior, et commendabilior est obedientia, et humilitas, quanto dignior, et excellentior persona, quae subicitur, et obedit; quanta quaeso erit Christi obedientia mirabilior, cuius dignitas, et maiestas agnoscitur esse infinita? *subditus erat illis*, ait Evang. sed si interrogas, quis est iste subditus? respondet Pater de coelo (*Luc. 9*): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit;* quis iste subditus? respondet angelus: *qui filius Altissimi vocabitur;* et: *qui regnabit in domo Iacob in aeternum, cuius regni non erit finis;* quis iste subditus? respondet Michael: *Cuius egressus a diebus aeternitatis;* quis iste subditus? respondet Isaias: *Princeps pacis, admirabilis, magni consilii angelus.* Dic tu etiam Daniel, quis iste subditus? qui in coelo ministrant milia millium, et decies centena milia assistunt ei. Dic David, quis iste subditus? Cuius est terra, et plenitudo eius, orbis terrarum; et universi, qui habitant in eo; rex gloriae, et Dominus virtutum, Dominus fortis, et potens. Dic Iudith, quis est iste subditus? Deus caelorum, Creator omnium, et Dominus totius creaturae. Dic Ioannes, quis iste subditus, respondet: *qui in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Dic Paule, quis iste subditus? in cuius nomine omne genuflectitur, coelestium, terrestrium, et infernorum. Dic Ecclesia, quis iste subditus? Respondet:*

*Quem ferra, pontus, aethera  
Colunt, adorant, praedicant: et ibid.  
Cui luca, sol, et omnia,  
Deserviunt per tempora.*

Et cui tres Magi procedentes Regem, eundemque Deum certis muneribus confessi adoraverunt.

Secundo fuit hoc obedientiae Christi prodigium excellentius illo, quia si dignitas, et auctoritas Iosue in omnium opinione crevit ex eo, quod sol voci eius obediret, incompatibiliter multo magis crevit dignitas, et auctoritas Virginis ex eo quod ipsum Deum haberet sibi obedientem: ex huiusmodi enim Christi subiectione necesse erat, ut in Maria conurgeret quaedam maioritatis, et superioritatis excellentia supra illum, qualis competi omnibus superioribus respectu suorum inferiorum, et subditorum, cuius praerogative tanta esse sublimitas, ut potiori iure, quam Hercules colummis, et affigi possit illud epythium: *Non plus ultra*, cum intra latitudinem imperii nihil ultra gloriosius dici, aut excogitari possit; quam principari, et dominari super ipsummet Deum, subditumque sibi illum habere: *subditus erat illis.* Et quamvis quispiam possit existimare, non id proprium esse Virginis, sed commune cum Iosepho, cui etiam Iesus obediebat, ut ait Evangelista, aliter tamen se res habet, quia b. Virgo titulo, et iure maternitatis, propter humanam substantiam, quam per veram generationem contulit filio, superioritatem habebat in illum, Ioseph vero, non iure sanguinis, sed affinitatis tantum, quatenus vir erat Virginis, et pater Christi dumtaxat putativus, hoc est pater Christi non re, sed secundam falsam hominum estimationem, iuxta illud (*Luc. 3*): *Putabatur filius Ioseph.*

Tertio, quia cum Christus Dominus subditus, et obediens esset Virgini, perfectique obedientis sit, voluntatem superioris in omnibus, quae non deviant a divinis, et ecclesiasticis legibus, tanquam regulam suarum actionum sibi assumere: consequens est, Christum Dominum, qui virtute obedientiae omnes longe praecellit, voluntatem Virginis sibi proposuisse, tanquam normam suarum actionum. Quid autem quaeso sublimius in commendationem eximiae sanctitatis et excellentiae b. Virginis dici potest, quam ut ille, qui est prima regula, et per essentiam indefectibilis, in suis actionibus voluntatem Virginis velut eorum regulam sibi constitueret, per quam, tanquam perfectissimus obediens, illas regularet? Hanc tantam Virginis celsitudinem licet alioquin ineffabilem, celebri tamen, ac memorandam quodam Alexandri dicto possumus, quantum non pro dignitate, in hunc modum illustrare; Plut. de Alex. fortuna refert quod cum magnus hic Monarcha Diogenem quadam die vislaret, observans in eo loquelae prudentiam, vultus modestiam, doctrinae integritatem, vitae etiam probitatem, ac morum compositionem, in summam admirationem raptus, obstupuit, continuoque in illa verba prorupit: *Nisi essem Alexander, Diogenes esse vellem.* Li-CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. II.

ceat mihi, fratres, prophana haec in sacra convertere. Certē, cum divinus Alexander, Christus Dominus b. Virginem invisit, et per incarnationem in utero eius requievit, insignem eius modestiam, vultus verecundiam, inauditam prudentiam, totiusque interioris, et exterioris hominis miram compositionem, ac coelestis vitae eximiam probitatem observans, si ita fas est dicere, obstupuit Virginis vita, et gravitate, potiussetque dicere potiori iure, quam Alexander: nisi essem Deus, Mariam esse vellem.

Rursus, sicut nulla inquam fuit filii erga matrem obedientia excellentior, ac perfectior illa, quam Christus Dominus matri suae praestitit, ita et gratitudo, quam ob beneficia ab ea accepta eidem exhibuit, omnium aliorum gratitudinem erga parentes longo intervallo superavit. Salomon (*Ecl. 7*) monens filios gratos se exhibere parentibus: *In toto*, inquit, *corde tuo honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris; memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis, quomodo illi tibi, graecus interpres vertit; et quid reddes illis, sicut illi tibi?* Tyburina vero lectio, et Pagninus transferunt: *Et quid reddes eis pro eo, quod de te sunt meriti?* Quibus translationibus congruit id, quod iam quasi in proverbium abiit illud Aristotelis (*9. Ethic.*): *Dis, parentibus, et magistris non potest reddi aequivalens.* In hoc ergo mirifice superavit gratitudo Christi Domini erga genitricem suam gratitudinem omnium filiorum erga proprias matres, quod illi non valent esse rependere aequale, Christus autem Dominus non solum pari pari, sed maius quidpiam rependit Virgini, quia ipse solus ad unquam observavit illud: *Retribue illis, quomodo et illi tibi.* Alii filii accipientes propriam substantiam et vitam a matribus, non possunt eiusdem substantiam, et vitam, quae matres ipsae vivunt, conferre: Iesus carnem, et vitam humanam a matre accepit, ut ait d. Math. *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus;* ipse autem, tanquam verus Virginis creator, corpus, sanguinem, et animam ei dedit, et eandem semper conservabat. Unde b. Virgo inquit (*Ecl. 24*): *Qui creavit me, requiescit in tabernaculo meo: et ubi nostra vulgata (Prov. 8) ait: Dominus possedit me, septuaginta legunt: Dominus condidit me: immo, et d. Epiphanius vertit: Dominus, instar pulli, excudit me.* Ecce quomodo filius retribuit matri, sicut illa tribuit ei. Maria, instar pulli, excudit Christum, infantem illum pariendo; et Iesus excidit, instar pulli, matrem suam, illam creando, in qua sane anticipata retributione non solum aequavit, sed superavit acceptum a matre: acceptat enim ab ea corpus, animam vero non fecerat ipsa; ad ipse contulit ei corpus, et animam, quam ipse creaverat. Insuper etiam Virgo dedit filio corpus mortale, et inglorium, ipse vero donavit matri, in die assumptionis corpus immortalē, et gloriosum. Ac tandem mater dedit filio esse naturale, filius vero matri esse supernaturalē, et consors naturae divinae; atque hinc arbitror, quod licet alioquin alii filii non possunt parentibus reddere aequale, praevidens